



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ss. Martyrvm Crvciatibvs Antonii Gallonii Rom. Congregationis Oratorii Presbyteri Liber

Gallonio, Antonio

Romae, 1594

De Cruce, stipitibus, & modis, quibus Christiani in Christi confeßione
perseuerantes appendebantur. Cap. Primvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10704

DE SANCTORVM MARTYRV M CRUCIATIBVS.



*De Cruce, stipitibus, & modis, quibus Christiani in Christi
confessione perseverantes appendebantur.*

CAP. PRIMVM.

TRACTATVRI hoc libello cum de mar-
tyrij instrumentis, tum etiam de innumerabi-
libus pene modis, quibus gloriosissimi atque
inuiſti Domini noſtri Ieſu Chriſti milites pro
eius honore mortem forti animo ſubiere; a
ſacroſancta cruce operis initium merito facere
decreuimus: Hæc enim illa fuit, in qua Saluator Orbis, æterni
Patris Filius, mortis vincula rumpens, callidum aſpidem ſupera-
uit, & ſuis fortitudinem promeruit, vt maxima cum cordis læ-
titia eſſent parati ad omnia omnino ardua ac difficillima, etiam,
ſi ſic res poſtulauerit, vſque ad ſanguinis effuſionem, & mem-
brorum omnium crudeliſſimam obruncationem. Cum igitur
eius ſacræ diuinæq. legis magiſtri ac prædicatores robur, quod
in tormentis præſerebant, a cruce acceperint, a cruce librum
iure decuit exordiri. Quoniam vero ſtipites erecti ſub hoc eo-
dem crucis nomine ab antiquis comprehendebantur, ideo &
de his erit nobis ibidem agendum, ſicuti & de modis, quibus
ſancti martyres pro Chriſti fide defendenda ſuſpendebantur:
nam, tam cruci affixi, quam palis alligati, erant aliquo modo
pendentes.

A Nunc

C R V C I A T V S

*Cruces supplicii
non solum Hebraeis,
sed & Gentilibus
quoque vsui fuit.*

*Cruces non vnus
tantum generis
fuerunt.*

Nunc autem reuertentes ad crucem, dicimus, non tantum Hebræos cōsueuisse reos mortis ipsimet cruci suffigere, sed etiam Gentiles: & hoc quidem nonnullæ ipsorum auctoritates declarant; Ciceronis primum pluribus in locis, præcipue 7. Ver. & lib. de finib. bon. & mal. Valerij Maximi lib. 6. cap. 2. externorū 3. de L. Domitio Pratore, & 8. de quaest. cap. 4. de Alexandro seruo Fannij, Titi itidem Liuij lib. 3. Curtij 9. Suetonij in Galba 9. & Senecæ de consolatione ad Martiam: quo in loco habetur, cruces non generis eiusdem extitisse; vnde huiuscemodi ibidem verba leguntur: Video istic cruces non vnus quidem generis, sed aliter ab alijs fabricatas: sunt, qui capite in terram verso suspendant: alij per obscœna stipitem agunt: alij brachia partibulo explicuerūt, &c.] Quod autem dicit; Alij per obscœna stipitem agunt] quodnam crucis genus eiusmodi fuerit, explicat idemmet Seneca lib. 17. epist. 102. crucem enim eam, dum in Meccenatem voluptuosum inuehitur, acutam nominat. ex quibus omnibus optime colligi potest, sicut etiam ex lib. 2. epist. 14. eiusdem auctoris; ex crucibus alteram fuisse, vt illæ, quas communiter per crucis vocem intelligimus; alteram vero instar palmorum acutorū, quibus hoc tempore Turcæ ad reos vita priuandos vtuntur, adigentes illos per medium hominem vsque ad summum oris. Legatur, si placet, Seneca loco paulo ante citato, & Procopius de bello Vuandalico libro primo.

*Orig. in Genes.
apud Euseb. lib.
3. c. 1.
Aug. serm. de
sanct. 28.*

Primo crucis generi (sicuti Seneca superiore loco, multipliciq. sanctorum Acta testantur) aliqui fuerunt affixi capitibus in terram versis, aliqui autem ad cælum eleuatis; & vtroque modo in crucem ab idolorum cultoribus tollebantur Christiani. Capite in terram verso martyrio inter alios coronatus fuit coryphæus Apostolorum Petrus, de quo hæc Origenes: Petrus ad extremum Romæ cum versaretur, capite deorsum statuto (sic enim perpeti cupiebat) cruci affixus est.] Augustinus autē sic: Currunt itaque vterque, id est, Petrus & Paulus, ad palmam martyrij, & vterque perueniunt ad coronam.] & paulo post: Petrus pro Christo capite deorsum verso in ligno suspenditur. Paulus pro Christo gladio trucidatur. Ille proprijs gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisq. ad superiora respiciens, beatum spiritum deducebat

ducebat ad cælum.] In eandem quoque sententiam (vt alios Patres omittamus) scribit Chrysoftomus homil. in Princ. Apostolorum: Gaudeas tu (inquit) Petre, cui datum est, vt ligno crucis Christi fruereris, & ad Magistri similitudinem voluisti crucifigi, non recta quidem figura, vt Christus Dominus, sed capite in terram verso, tamquam qui a terra in cælum iter faceres. Beati illi clauis, qui sancta illa membra penetrarunt.] hucusque Chrysoftomus. Sanctissimo huic Christi Apostolo addere possumus Calliopium, qui eodem mortis genere pro tuenda Christiana religione fortiter excellenterq. de diabolo & mundo triumphauit: itemq. & illos, quorum Eusebius meminit histor. lib. 2. c. 8. in fine. Et hæc de cruci affixis, pedibus ad cælum tendentibus.

Pedibus autem ad terram demissis (vt rem nostram prosequamur) passi sunt complures Christianæ legis buccinatores, Philippus videlicet & Andreas Apostoli, item Cleonicus, Eutropius, Basilissus, Theodolus, Nestor Episcopus, Timon diaconus, Alexander quidam, Phengon, Eucarpus, Timotheus, Maura, Eulalia Barcinonensis, Lucillianus, Apollonius, Faustus. Præter hos, scribit quoque Martyrologium Romanum de martyribus decem millibus crucifixis, & de Simeone quodam Episcopo similiter crucifixo, qui tunc temporis ætatis suæ annum vigesimum supra centesimum agebat.

De primis, id est, de decem millibus in crucem sublatis, X. Kalend. Iulij, sic: In monte Ararath passio sanctorum martyrum decem millium crucifixorum.]

De altero vero, nempe de Simeone Episcopo, XII. Kalend. Martij, his verbis: Hierosolymis natalis beati Simeonis Episcopi & martyris, qui filius Cleophæ, & propinquus Saluatoris, secundum carnem, fuisse traditur. Hic Hierosolymorum Episcopus post Iacobum fratrem Domini ordinatus, in persecutione Traiani multis supplicijs affectus, martyrio consummatus est, omnibus qui aderant, & Iudice ipso mirantibus, vt centum viginti annorum senex crucis supplicium fortiter constanterq. pertulisset.] Tractat de eodemmet S. Episcopo Eusebius histor. 3. cap. 26. & lib. item 8. cap. 8.

Sanctorum Cleonici, Eutropij, & Basiliss referunt Acta Greci in Menolog. 5. Non. Martij. Theodoli Eusebii hist. lib. 8. cap. 22. Nestoris Surinus tom. 1. Timonis Rom. Martyr. 13. Kal. Martij. Alexandri Surinus 2. Phægonis & Eucarpi idem tom. 1. ex Metaph. sub S. Clementis An-cyrani titulo. Timothei & Mauræ Menologium. 5. Non. Martij. Lucilliani idem Menolog. 3. Non. Iunij. Apollonij idem Menolog. 6. Id. Iulij. Faustij idem 16. Kal. Augusti. Eulalie nos in histor. SS. FF. extern.

Modus quo Gentiles ad Christianos crucifigendos utebantur.

Præparabant a principio crudelitatis ministri (vt nonnulla ex Actibus supra citatis, & præcipue Pionij indicant) malleum, clauos ferreos, & crucem ex ligno compositâ, quam continuo in terra locabant, & interdû funes aliquos deferre solebant, ad manus ac pedes in crucē agendorum extendendos: deinde sanctos martyres, siue alios ex eorum vana religione alicuius criminis reos, vestibus denudatos, in ligno ponentes, quatuor (vt probabilius videtur) clavis eos in ipso suspendebant: quo facto, stipitem simul cum cruci affixis, desuper eleuabant, & in excauatum foramen erigentes, sic eos, ad acerbiores cruciatum, permanere vsque ad putrefactionem relinquebant, vti Valerius Maximus lib. 6. cap. 2. externorum 3. atque alibi non obscure innuit. Ex his itaque discere possumus, fuisse Hebræos a Gentilibus discrepantes in corporibus cruci affixorum deponendis e ligno: hi etenim (vt modo notauimus) ea in patibulo pendere, donec putrescerent, sinebant. At Iudæi non sic, quoniam eadem die, iuxta legis mandatum Deut. 21. e ligno deponebant, & loco conuenienti funerabant.

Quomodo differrent Hebræi a Gentilibus in corporibus cruci affixorum deponendis e ligno.

De palo acuto.

De alio vero crucis genere, quod initio capitis palum esse acutum Senecæ auctoritate demonstrauimus, parum in hoc nostro libello pertractabimus, cum hactenus non potuerimus in martyrum antiquorum historijs huiusmodi supplicium inuenire: nisi forte tale velimus nuncupare illud, quo gloriosissimi Christi athletæ præacuta fude per media viscera transfuerberabantur; & de hoc, diuino fauente numine, capitulo vltimo peragemus: vel illud, de quo Theodoret. hist. Eccl. lib. 5. cap. 38. his verbis: Vbi autē videt eum, id est, S. Benjamin, hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rursus arundinem in membrum genitale intrudi mandat: quæ sæpius extracta, insertaq. dolores ei incussit inexplicabiles. Post efferatus Tyrannus, virgam robustam, crassam, & propter ramos vndique eminentes valde asperam, in imam alui sedem infigi iubet.] hæc ille. Verum a Turcis (vt legitur lib. 7. de signis Eccl. c. 3.) Hadrianus ex ordine S. Dominici

Inimanes cruciatus.

minici

minici, & vigintifex alij palis fuerunt infixi, de quo tormenti genere meminit Procopius de bello Vuandalico lib. 1. pag. 186. Ac de his haftenus.

De stipitibus.

Fuerunt cultui dæmonum deditis stipites magno vsui in varijs Christianorum cruciamentis: ipsis enim sanctos martyres toto corpore vt plurimum nudatos, clavis ferreis affigentes, vel certe funibus ligantes, vngulis, vncis, aut pectinibus immisericorditer excarnificabant, sagittis configebant, fustibus, alijsq. flagellorum instrumentis cædebant, morsibus ferarum obijciebant, euellébant dentes, excidebant linguam, mulieribus mamillas amputabant, denique alijs diris modis eisdem palis astrictos cruciare non desistebant.

Confirmant hæc quamplurima sanctorum martyrum Acta, Gregorij nimirum Thaumaturgi, Pionij, Polycarpi, Primi & Feliciani, Mauritij & sociorum, Symphronij, Philemonis, Blandinæ, Marci, Marcelliani, Gaianæ, & Febronix virginum, & aliorum vtriusque sexus fere innumerabilium. hoc idem etiam ex antiquis scriptoribus indicant inter alios Cicero 7. in Verrem, Valerius Maximus lib. 3. cap. 8. de Euluo, & lib. 5. cap. similiter 8. de L. Bruto, & Suetonius Tranquillus in Claudio c. 34.

Sciendum hoc loco est, Martyres, qui palis, clavis ferreis firmati, torquebantur, fuisse iisdemmet quandoque etiam funibus ligatos, & hoc ad maiorem forsitan ipsorum cruciatum. Videat lector, si vult, aliqua ex Actis sanctorum paulo ante citatis, speciatim Pionij, Primi, Marci, Mauritij, Marcelliani, & Polycarpi.

De columnis, atque arboribus eidem pene vsui accommodatis.

Quamuis consuescerent dæmonum cultores supplicij sæpissime afficere morti addictos stipitibus ligatos; de nostris tamen inuenitur quandoque scriptū, fuisse eos aut columnis, aut arboribus, vel funiculis colligatos, vel clavis affixos, ipsis sic iubentibus, excruciatos.

De stipitibus & eorum vsu.

Acta Gregorij Surii ex Metaphr. tom. 1.

Pionij idē ab eod. tom. 1.

Polycarpi vetera nostræ bibliothecæ manuscripta. Primi & Feliciani Petrus lib. 5. c. 99.

Mauritij & sociorum Surius tom. 4.

Symphronij & sociorum Petrus lib. 6. c. 144.

Philemon. Petrus lib. 3. c. 183.

Blandinæ Euseb. lib. 5. c. 2.

Marci & Marcelliani Petrus lib. 5. c. 124.

Gaianæ Surius ex Metaphr. tom. 5. sub S. Gregorij Armenij inscriptione.

Febronix Lipom. 7. Sur. 3. & Menolog.

Plurimum martyrum Rom. Mart. tyrol. 8. Id. Jan.

De columnis testes sunt Acta Torpetis martyris a Petro lib. 5. cap. 8. relata, & Eusebius histor. 8. cap. 11. & denique columna illa in basilica S. Sebastiani extra Urbem religiose asseruata, quæ ex antiqua Christianorum traditione illa esse creditur, in qua idem beatus martyr pro Christi fidei confessione sagittis percussus fuit.

De arboribus vero testes Acta similiter martyrû, Zoe a Surio descripta tom. 1. sub S. Sebastiani nomine, Paphnutij ab eodem Surio tom. 2. Papæ a Menologio 17. Kal. Aprilis, & Victoris & Coronæ a Petro lib. 4. cap. 168. & a Lipom. tom. 7. a Surio 3. & a Mombratio 2.

De diuersis suspendendi generibus.

*De suspensionibus
sanctorum mar-
tyrum*

Cum hætenus a nobis de cruce actum sit, & de stipitibus, reliquum est vt tandem in hac vltima huius capituli parte de modis suspendendi inuestigemus, quo pacto videlicet SS. martyres pro sacri Euangelij defensione fuerint a Gentilibus appensi; varijs enim, & quidem acerrimis modis per appensionem, ipsorum arbitratu, passi inueniuntur: nam de aliquibus legitur, vno tantum pede fuisse suspensos, & de aliquibus vtroque, aut saltem (vt scribit Nicephorus histor. 7. cap. 11.) altero pede ad caput eleuato, molliore igne supposito, vt fumo ex illa materia proveniente suffocarentur: de quibusdam alijs, vel ambobus, vel altero brachio, aut certe apicibus pollicum manuum, & pedibus simul grauia atque iniusta addita pondera. De quibusdam etiam reperitur, suspensos e muro sublimi pendentes, lapidibus & collo & pedibus apposis, aut funibus corporibus alligatis, oneratos habentes humeros glebis salis, & in os ad maiorem eorum poenam lignis immisiss. De quibusdam alijs insuper deprehenditur, melle perunctos fuisse sub ardentissimo Sole stipitibus erectis astrictos, vt muscarum & fucorum aculeis torquerentur. De alijs præterea, vncis ferreis suspensos, aut laqueo, vt necarentur, sublimi eleuatos eo modo, quo temporibus hisce latrones & sicarij, vt vita priuentur, leuari solent. Postremo, vel ad columnas, vultu alterius in alterum obuerso ligatos, pedibus non ad
terram

terram demissis, vel denique capillis appensos, vt mulieribus pro Christi fide decertantibus frequenter accidebat.

De singulis hisce modis crebro sanctorum martyrum Acta loquuntur. De primo, illa Gregorij Armeniae Episcopi a Metaphraсте apud Surium tom. 5. descripta, & Samonæ & Guriaë ab eodem etiam apud eundem Surium tom. 6. & beatissimorum Ionæ ac Barachisij a Metaphraсте item apud dictum scriptorem tom. 2.

Verum appendebantur sæpe altero pede per totum diem (vt Eusebius histor. 8. cap. 9. testificatur) mulieres Christianæ, ita vt ne pudenda quidem earum in Christi vel maxime contemptum contegerentur.

De suspensis altero pede.

Quantum vero attinet ad modos, quibus martyres ita cruciabantur, sciendum est eos fuisse multos. Nam aliquando simpliciter altero pede; aliquando ad hæc fumus ex humida addebatur & foetida materia, nempe ex bestiarum stercore, & insuper tortores duodecim virgis cædentes: quandoque etiam vno pede in genu deflexo, & genu ferreo iniecto vinculo: altero deinde pede ferri pondere, vt sic miserandum in modum discerperentur, grauato. Vnde in sancti Samonæ Actis huiusmodi verba narrantur: Præses autem statim iubet Samonam altero pede in genu inclinari, & ferreum vinculum iniici eius genui. quod cum factum esset, eum quidem suspendit præcipitem a pede quem inclinauerat, alterum deorsum trahens pondere ferri.] hucusque Acta.

Aliquo horum trium generum affecti martyrio inter alios leguntur præclarissimi illi Christi milites, quorum paulo ante fecimus ipsi mentionem, Barachisius scilicet primo, Gregorius Armenius altero, & Samona tertio. Et hæc de primo modo.

De alio suspendendi genere, quod de appensis ambobus pedibus fuisse diximus, mentionem faciunt nonnulla sanctorum martyrum Acta, Venantij nempe a Petro recitata Catalogi 5. cap. 12. & sanctarum virginum Euphemie, eiusq. sororum ab eodem Petro Catalogi 8. cap. 29. & a veteribus codicibus Aquileiensis Ecclesie manu exaratis, item sanctorum Acepsum Episcopi, ac sociorum a Metaphraсте apud Surium tom. 2. & sancti Theo-

De appensis ambobus pedibus.

Acti Theopompi a Petro lib. 5. cap. 33. Idem quoque demon-
strant beati Victorini Acta a Romano Martyrologio relata No-
nis Septembris, & Leontij nobilissimi martyris a Surio tom. 3.
& S. Mercurij a Metaphraſte apud nuper citatum auctore tom.
6. ac denique aliorum multorum, & quidem innumerabilium:
de quibus X. Kalend. Iunij ſic ſcriptum reliquit Martyrologium
Rom. In Cappadocia commemoratio ſanctorum martyrum, qui
in perſecutione Maximiani, conſectis cruribus, necati ſunt: item
eorum, qui eodem tempore in Meſopotamia appenſi pedibus in
ſublime, capite verſo deorſum, ſuffocati fumo, & lento igne con-
ſumpti, martyrium compleuerunt.]

Ceterum non vno tantum modo, ſed pluribus erant ita appen-
ſi a ſeruis diaboli (vt ex Actibus paulo ante citatis percipi poteſt)
excruciati: nam aliquando fumo inſuper faucibus preſſi; aliquan-
do malleis ab iſdem capita eorum contuſa; quandoque vel in-
gentia ſaxa eorundem ceruicibus alligata, vel ſaltem facibus ar-
dentibus, hoſtilem in modum, aduſti.

Primo horum in Meſopotamiæ regione quamplures Chriſtia-
ni perpeſſi habentur; altero Euphemia, Thecla, Eraſma, & Do-
rothea præclariffimæ Chriſti virgines; tertio Theopompus, &
Mercurius, & poſtremo Venantius.

De tertio appendendi genere, id eſt,
De appenſis altero brachio.

Verba faciunt de hoc tertio appendendi genere, quod de ap-
penſis altero brachio fuiſſe affirmauimus, permulta ſanctorum
martyrum Acta, inter quæ illa Samonæ & Guriæ dudum a nobis
notata, adnumeramus, & Antoniaæ martyris nobiliffimæ, de qua
Romano in Martyrologio IV. Non. Maij ſic litteris proditum
reperitur:

Nicomediae natalis ſanctæ Antoniaæ martyris, quæ nimium
torta, & varijs afflicta cruciatibus, altero brachio tribus diebus
ſuſpenſa, & in carcere biennio detenta, ad vltimum a Præſidia-
no Præſide in conſeſſione Domini flammis exuſta eſt.] hucusque
Martyrologium Romanum.

Notari

Notari debet primum, consueuisse nonnumquam martyrum percussores alligare pedibus isto modo appensorum, vt singulæ illorum corporis compages distraherentur, grandis ponderis lapides: cuius rei præclarum firmumq. testimonium aliquæ sanctorum res gestæ dant nobis, potissimum Samonæ & Gurizæ identidem in alijs propositis hoc ipso capite citatæ.

De ponderibus, quibus Iesu Christi Domini nostri athleta cruciabantur.

Frequentissime in martyrum historijs legitur, eosdem sublimè appensos, fuisse inter alia tormenta ponderibus grauatos, ex quibus quædam erant plumbea, vel ferrea (vt alio loco dicemus) & quædam alia lapidea; lapidea veluti nonnulla fidem faciunt, quæ ad hunc diem hic Romæ asseruantur in basilicis SS. Apostolorum, atque Apollinaris, & Anastasij ad Aquas Saluias non procul ab Vrbe. erant maximi ponderis lapides, nigriq. coloris, rotundi, vel oblongi, ferreum annulum saxo impactum habentes, quo funiculus ad ligandum & suspendendum ad pedes vel manus sublimè pendentium immittebatur.

De ponderibus.

Illud præterea lectorem scire volumus, quosdam in ea fuisse opinionem, vt crediderint prædictos globos lapideos a Iosepho lib. de Machab. ad Polybium, Orbicularia appellatos, non fuisse inuentos inferendorum cruciamentorum causa, sed æstimatorum onerum gratia: quod quidem (vt in Notationibus ad Romanum Martyrologium probatur) minime esse potest: nam quæ erant huiusmodi, habebant (vt Isidorus lib. 16. origin. & Alciatus de ponderibus cap. 1. docent) notam numeri inscriptam, quam hos non habere apparet.

Orbicularia quædam fuerunt.

Amplius diuersa fuerunt (vt in dictis Notis ad Romanum Martyrologium scriptum habetur) hæc pondera ab illis, quæ lege 12. tabul. debitoribus exhibebantur: erant enim compedes, de quibus Gellius lib. 20. cap. 1. in fine, vbi hæc inter alia: Vincito autem neruo, aut compedibus quindecim pondo non minore; aut si volet maiore, maiore vincito.] hæc Gellius.

Varia ponderum genera.

*De quarto suspendendi genere, scilicet,
De suspensis ambobus brachijs.*

De appensis brachijs.

De hoc quarto suspendendi genere sermonem faciunt Acta sanctorum Procopij a Metaph. relata apud Surium tom. 4. Andochij, Thyrsi, & Felicis a Petro lib. 8. cap. 116. & Mennæ, ac sociorum eius a Metaphraсте etiam apud Surium tom. 6.

Scies hoc loco, hanc fuisse Gentium consuetudinem, ut interdum, vel pedibus hoc modo appensorum grandia pondera vincirent, vel certe, ut post tergum distortis brachijs eos sublime demitterent, ac relinquerent. Quocirca Romano in Martyrologio hæc 8. Kal. Octobris de sanctis Christi confessoribus Andochio & socijs referuntur:

Augustoduni natalis sanctorum martyrum Andochij presbyteri, Thyrsi diaconi, & Felicis, qui a beato Polycarpo Smyrneni Episcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam, ibidem flagellis durissime cæsi, ac tota die inuersis manibus suspensi, & in ignem missi, sed non combusti, tandem vectibus eorum colla feriuntur, & ita gloriosissime coronantur.

De quinto suspendendi genere, videlicet, De suspensis pollicibus manuum.

De suspensis pollicibus manuum.

De hoc quinto suspendendi genere scribunt Iacobi & Mariani Acta a Petro recitata lib. 4. cap. 104. & a Surio tom. 2. in quibus eiusmodi de Mariano Christi milite verba narrantur:

Marianum autem fecit tormentis obnoxium, quod se lectorem tantum, sicuti erat, fatebatur. Quænam illa tormenta, quam noua, quam diaboli venenato sensu, & deiiciendi artibus exquisita supplicia! Pependit Marianus ad vulnera: & quæ martyri, etiam in ipsis lacerationibus affuit gratia; sic tortus est, ut illum exaltaret & poena. Nexus autem, qui pendentem gerebat, non manus, sed summos apices pollicum vinxerat; scilicet, ut digitorum tenuis exilitas plus in ferendis membris ceteris laboraret. Addita etiam pedibus iniusta pondera, ut discordantibus

tibus

tibus pœnis vtrinq̄e distracta, & viscerum conuulsione resoluta, de neruis suis totius corporis compago penderet.] hæc Acta: quibus sane non obscure instruimur, vera esse, quæ de hoc quinto genere asseruimus.

De sexto genere, videlicet, De sublime pendentibus, oneribus collo & pedibus ligatis.

De hoc genere testes sunt beatissimi Seueriani martyris res gestæ, a Metaphr. apud Surium tom. 5. relatæ, his verbis: Præfectus itaque, Seueriani silentium, contemptum, sicut erat, arbitratus, grauiora in eo excogitabat, & cum eum de ligno deposuisset, deducit ad murum: cumque duos lapides maximos & grauissimos, vnum quidem collo, alterum autem alligasset pedibus, & martyrem fune cinxisset, demittit e muro sublime pendentem, vt lapidum pondere membris ei diuulsis, violenter abrumpat animam.] hucusque Acta. Et de hoc sexto genere mihi iam satis superq̄. dixisse videor.

De septimo, nimirum, De suspensis funibus corporibus ligatis, onustisq̄. humeris glebis salis, &c.

De hoc septimo genere mentionem faciunt beati Gregorij Armenij Acta a Metaphraсте apud Surium tom. 5. descripta, in quibus hæc:

Cum ista fusc sacrosanctus dixisset Gregorius, ira supra modum repletus est Tyridates, & acerrime in eum fuit commotus: & vinctus quidem fuit statim vir præclarus. Deinde cum lignum ori eius immisissent, quam maximo possunt spatio, superiorem partem disiungunt ab inferiori, & eius humeros onerant glebis salis, qui est apud Armenios fossilis: deinde funibus sacrosancto corpori alligatis, cum eum sublime sustulissent, totos septem dies ei hoc acerbum producunt supplicium.] hætenus Gregorij Acta; quæ (si verum fateri velimus) dilucide quidem nobis, qualis quantave fuerit huius generis suspendendi immanitas, declarant.

De octavo genere, nempe, De astrictis melle perunctis sub ardentissimo Solis aestu, stipitibus erectis, vt morsibus muscarum & fucorum affligerentur.

De martyribus muscarum morsibus obiectis.

De hoc genere res gesta sanctorum Mauritij, sociorumq. eius a Surio relatæ tom. 4. & Marci Arethusij a B. Gregorio Nazianzeno inuectiua 1. in Iulianum, a Theodoretto lib. 3. cap. 7. a Sozomeno histor. 5. cap. 19. a Nicephoro lib. 10. cap. 9. & a Surio pariter tom. 1.

De quampluribus modis, quibus Christiani muscarum & fucorum aculeis exponantur.

Tribus modis in martyrum historijs reperiuntur fuisse Christiani eandem ob causam radijs Solis obiecti: aliquando simpliciter palis ligati, vt Mauritio, socijsq. eius contigit: aliquando sportis ex iunco confectis sublatis in altum, vt de Marco Arethufio apud paulo ante a nobis citatos auctores legi potest: postremo (veluti B. Hieronymus in Pauli primi Eremitæ historia dat testimonium) humi positi, manibus post terga ligatis. Et hæc de his modis.

Cyphonis supplicij quale fuerit.

Scribit Rodeginus antiq. lect. lib. 10. cap. 5. fuisse a veteribus hocmet supplicij genus Cyphonismis a Cyphone nuncupatum: Vnde Cyphon in Aristophanis Pluto, ait, id nominatur quod ligneum erat vinculum, siue (vt nunc etiam) ferreum, vulgus Berlinam vocat, quo quis videlicet (adde tu) ad ignominiam ligatus, detinebatur melle delibutus, sic muscis expositus. hinc fit (subiungit idem auctor) vt improbis quoque Cyphonis adhæserit nomen, & Cyphonismus pro supplicio.] deinde paulo inferius, Apud quosdam, sequitur, ita cautum animaduertito, vt quisquis per audaciam, legum placita risui habuisset, diebus viginti in archiuo (id est, in loco quo ducebantur damnati ad mortem) vinculus Cyphone perseueraret nudus, melle ac lacte delibutus, vt apibus muscisq. esset pabulum: dilapsis vero ijs, muliebri indutus veste, deturbaretur in præceps.] hæc Coelius Rodeginus. Eiusmodi etiam aliqua ex parte illud tormenti genus erat, quo Persæ (vt Eunapius in Maximo, & Zonara 1. Annalium testantur) ad delinquentes communi luce priuandos utebantur

Supplicij quid.

utebantur; quod quidem scaphismus ab ipsis dictum inuenitur. agit de eo Plutar. in Artaxerſe his verbis: Igitur Mitridatem scaphis necari iuſſit. Genus autem mortis ac ſupplicij huiusmodi eſt. Duabus exædificatis ſcaphis inter ſe congruentibus, in altera hominem, qui ad ſupplicium datur, reſupinant, alteram deſuper imponentes ſic ambas coniungunt, vt manus ac pedes foris excludantur, reliquum vero corpus totum intus claudatur. Præbent homini cibum, ſtimulisque oculos fodientes, veſci vel inuitum cogunt: veſcenti autem pro potu lac melli admixtum in os infundunt, faciemq. eodem conſpergunt; ſic eius oculos verſantes, ſcapham ſemper aduerſo ſoli opponunt, & muſcarum inſidentium multitudine ora quotidie obteguntur. Cumq. intus ea faciat, quæ edentes, bibentesq. homines facere neceſſitas cogit, ex corruptione & putredine varij pullulant vermes, quibus intra veſtes penetrantibus, corpus abroditur. Cum enim, perfuncto vita homine, ſuperior amouetur ſcapha, exefa caro aſpicitur, & circa viſcera talium ferarum paſcentium, aliarumq. quotidie ſucceſcentium multitudo apparet. Huiusmodi ſupplicijs Mitridates excruciatuſ ad decimumſeptimum uſque diem calamitoſam vitam produxit, atque demum extinctuſ eſt. hæc Plutarchuſ, a cuiuſ verbis non differunt relata a Zonara tom. 1. Annalium, pag. 21. hæc enim ibi leguntur: Perſæ atrocitate pœnarum omnes barbaroſ vincunt, ſcaphis & excoriationibus ſupplicia grauiora & diuturniora reddentes. Ceterum quod de ſcaphis dixi, declarandum eſt ob imperitioſe. *cod scaphis.* Duas ſcaphas inter ſe pares coniungunt, ita incifaſ, vt caput, manuſ, & pedes foras emineant; in quibus, eum qui ſupplicio afficitur, ſupinum reclinant: itaque ſcaphaſ clauis inter ſe compingunt: deinde portionem ex melle & lacte in oſ miſeri infundunt, donec ad nauſeam repleatur, eademq. & faciem & pedes & brachia eiſ perfundunt, & ſub dio ad Solem exponunt; & hoc quotidie faciunt. ita fit, vt muſcæ, veſpæ, & apes liquorum ſuauiſſitate allecæ, faciei & reliquiſ membris e ſcaphiſ prominentibus inſideant, miſerum vexent, & pungant. At venter eiſ lacte & melle diſtentuſ, liquida reiicit excrementa, e quibus putrefactiſ lumbrici & vermes ſcaturiunt: qui ve-
 ro in

ro in scaphis iacet, in sordibus illis carne putrescente, a vermibus erofus, & crudelius & tardius interit. Hoc supplicij genere Parifatis Artaxerfis & Cyri mater eum sustulisse fertur, qui se Cyrum cum fratre de regno pugnantes interfecisse gloriatus fuerat, per dies quatuordecim excruciatum. At scapharum supplicium huiusmodi est.] haecenus Zonara. In eandem prorsus sententiam scribit Rodeginus lectionum antiquarum lib. 10. cap. 5. Istiusmet quoque generis cruciamenti meminit Eunapius in Maximo his verbis: Nam scaphismus supplicium Persis vfitatum pro tormentis huic allatis paruū fuerit.] sic Sardonianus. Ex hucusque itaque dictis (nisi nostra nos forte fallat opinio) perfacile & nullo negotio percipi potest, scaphismum non a scaphio, quod vas erat stercorarium, dictum esse, sed a scaphis ligneis: & hoc quidem, partim quia praedictis in locis habetur, ambas illas scaphas clavis fuisse in vnum coniunctas atque vnitas, quod de scaphijs minime asserendū: partim etiam quia scaphas illas fuisse, & non scaphia, ibidē legitur. Nec enim obstat, si dicatur, scaphismū non a scaphis deductum, sed a scaphio: quia videlicet non semper scaphis exhibitum reperitur, cum aliquando corio bouis arido, quo sic consumendus insuebatur, aliqua martyrum res gestae, executioni mandatum, nos doceant. Nam haec ratio, si his, quae ex Plutarcho & Zonara recitauimus, fides est adhibenda, nullius videtur momenti: & primo, quia intra scaphas duas, & non scaphia, narrant ambo huic generi mortis adiudicatos inclusos fuisse: deinde, quia scaphismus (vt ex iisdem auctoribus supra scripsimus) ille erat, in quo sic homo totus suis indutus vestibus decem & septem dierum spatio includebatur, vt caput cum manibus pedibusq. melle ac lacte delibutum prominere ad muscarum & fucorum aculeos sic perunctum: cuiusmodi non fiebat illis, qui corio bouis insuebantur; illorum enim per diem caput foris excludebatur, ceteris corporum partibus nudatis, & intra corium inclusis. Quocirca de Chrysantho martyre haec in Actis eius cum manuscriptis, tum in lucem editis leguntur: Auferentes eum ex eodem loco, excoriarunt vitulum, & corio recenti cingunt eum nudum, & posuerunt eum ad Solem; sed per totum diem in aestu nimio & flagrantissimo Sole nullam omnino

Scaphismi supplicium in usu erat apud Persas.

Scaphismus nō a scaphio, sed a scaphis dicitur.

Chrysanthus martyr nō passus fuit scaphismum, sed aliud genus cruciamenti ei aliqua ex parte simile.

nino potuit calefactionem sentire. Sed eadem, qua fuerat, viriditate perdurans, corium in nullo potuit Dei famulum violare. Item posuerunt catenas ferreas, & reliqua.] hucusque Acta; quibus erudimur, scaphismum ab hoc genere cruciamenti fuisse diuersum, licet ex aliqua parte illi simile, quatenus nimirum sic corio recenti inclusi radijs Solis aduersis exponebatur, vt fortassis & obcaerentur, & a muscis apibusq. afflicterentur, & intus ex corruptione vermium vi scaturiente, si modo diebus pluribus ita fuissent detenti, misere eorum corpora absumerentur. At de scaphismo satis.

Consimilia tormenta his qua hucusque a nobis sunt declarata, multa videri queunt in Luciani dialogo, cui titulus est, Lucius, siue Asinus, vbi haec narrantur: Mortis genus, quo haec virgo longo dolore afficiatur, reperiundum est nobis.] & paulo post: Hunc asinum (inquit) interficiamus primum, tum scindamus ventrem, atque intestinis abiectis, intus virginem includamus, ita vt solum superextet caput, ne euestigio suffocetur: reliquum corpus intra ventrem lateat: quo confuto, ambos vulturibus eiciamus nouo more preparatum cibum. Aduertite, quaeso, ad hoc tormenti genus. Primum viua mortuo asino inharebit: deinde Sole vrente, in eius ventre decoquetur; insuper fame ad mortem torquebitur, neque poterit se ipsam perimere. Cetera, quibus excrucietur, tum ex putrefacti cadaveris foetore, tum ex vermibus scaturientibus, praetermitto. Vultures denique cadaver depasti, & viuentem quoque vna laniabunt. Ad hoc monstrum simile acclamantes omnes, rem comprobauerunt.] haec Lucianus. his similia scribit Apuleius de Asino aureo lib. 6. in fine his verbis: Hunc asinum iugulare castino placeat, totisq. euacuato praecordijs per medium aluum nudam virginem insuere, vt sola facie prominente, ceterum corpus puellae nexu ferino coerceat: tunc super aliquod saxum scruposum insititium asinum exponere, & Solis ardentis vaporibus tradere, &c.] & lib. 8. eo in loco, in quo sic habetur: Arreptum seruulum eius, qui causam tanti sceleris] & qua sequuntur. Deinde alia ite in Iulio Capitolino in Maximo atque in Macrino Imperatoribus, in Valerio Maximo lib. 9. cap. 2. de externorum crudelitate ultimo, in Suetonio Tranquillo

De consimilibus cruciamentis.

Amisibor 11

quillo in Caij vita cap. 27. & in quamplurimis alijs, quos, vt
possimus genera appendendi, quæ supersunt, explicare, recense-
re omittimus.

De nono & decimo appendendi generibus, nempe

De vnco suspensis, & de laqueo necatis.

*De nono & deci-
mo suspendendi
generibus.*

Horum duorum modorum testes sunt Acta martyrum: primi
illa Niceti a Petro Catalogi 8. cap. 70. relata: alterius vero,
beatorum Gorgonij & Dorothei ab Eusebio histor. 8. cap. 6. a
Nicephoro Calisto lib. 7. cap. 6. & denique a veteribus nostræ
bibliothecæ codicibus manu exaratis.

*De vndecimo suspendendi genere, nimirum, De ligatis
ad columnas, pedibus non demissis ad terram.*

De vndecimo.

De hoc genere meminit Philæas Episcopus apud Eusebium
histor. lib. 8. cap. 11. his verbis: Alij autem vultu alterius
in alterum obuerso ligati, & columnis, pedibus non ad ter-
ram demissis, appensi, sic vt cum funes acrius retraherentur
& contentius, corporis grauitate ac pondere acerbius preme-
rentur. Neque tantisper solum, dum Præses cum illis quæstione
disceptabat, illisq. examinandis vacabat, sed per totū fere diem
istud supplicij genus sustinuerunt. Quando autem ab illis ad
alios profectus est, ministros ipsius auctoritati obsequentes re-
liquit, qui priores accurate obseruarent, si forte quisquam tor-
mentis euictus cedere videretur; mandauitq. vt acerbe & sine
remissione vlla funibus distorquerentur; & deinceps cum iamiam
essent animam acturi, rursus in terram demissi, passim misere ra-
parerent.] hucusque Philæas: quæ verba (prout ex Græco ipsius-
met Philææ sermone in Latinum transtulit in mei gratiam admo-
dum illustris & reuerendissimus dominus Sextilius Mazzuchius
Episcopus Lessanensis) hoc modo se habent:

Alij autem ad columnas ligati sunt vultu alterius in alterum
obuerso, pedibus non habentibus vbi insisterent; ita autem, vt
cum funes retro traherentur, vel sursum traherentur, vel iterum
atque

atque sapius & intense (quæ omnia significat verbū Græcū ἀνελα-
 κομίνων) vim corporis grauitate afferrent; & reliqua vt supra.
 Ceterum quo pacto hæc sint intelligenda, cognitu est difficilli-
 mum: etenim non tantum ex se apud Eusebium obscura sunt, sed
 etiam a Nicephoro lib. 7. cap. 9. aliter repetita comperiuntur;
 hinc fit, vt & difficiles habeant explicatus, & vt in eis decla-
 randis a diuersis alioqui doctissimis viris, quos consului, di-
 uersæ sint adhibitæ explanationes. Sunt enim, qui opinentur
 eam esse verborum Philææ sententiam, vt velit docere nos,
 ita fuisse persecutionum temporibus Christianos sublime ap-
 pensos, vt eorum pedibus, acerbioris cruciatus gratia, essent
 marmoreæ columnæ alligatæ: quæ quidem interpretatio nul-
 la omnino esse videtur; cum nec verbis auctoris accommodari
 possit, nec difficultates, quæ ex huiusmodi explicatione ema-
 narent, tollere queat: quomodo enim! subterfugere possemus
 verba illa, Pedibus non habentibus vbi insisterent] non fuisse
 superflua? si enim columnæ erant sanctorum martyrum pedibus
 appensæ, pedes profecto non erant ad terram demissi: qua igi-
 tur ratione adduntur? Deinde quomodo illa alia fuisse im-
 propria negare poterimus, videlicet, Vim corporis grauitate
 afferrent?] certe, si columnæ erant pedibus ligatæ, vi colum-
 narum, non corporis grauitate martyres premebantur: cur
 ergo Philæas non sic in sua notata epistola posuit? Postremo
 quomodo deuitare etiam aliam difficultatem ex verbis eiusdē-
 met Philææ exortam, quæ scripsit ille paulo superius, ab his,
 quæ adduximus? namque ait: Alij pependerit ad porticum
 (seu, vt textus Nicephori habet, ad fornicem, quod idem est)
 vna manu affixi, & articulorum, membrorumque distensio-
 nem, quæ omnem doloris superabat acerbiter, pertulerunt.
 Alij autem ad columnas ligati sunt, vultu alterius in alterum
 obuerso, pedibus non habentibus vbi insisterent, &c.] Non igi-
 tur columnæ erant pedibus horum appensorum alligatæ, sed
 hoc modo appensi ipsismet vincti tenebantur, & miserandum
 in modum sic detenti cruciabantur. Ex his quoque aliorum in-
 terpretatio refelli potest, qua asseritur, id verba Philææ sona-
 re, vt indicent fuisse Christi athletas vultu alterius in alterum

C

verso

verso simul ligatos, & sic non columnis, sed fornicibus, pedibus ad cælum tendentibus, suspensos: hæc, inquam, explanatio, si his, quæ ex Philæa dudum recitauimus, est fides præstanda, falsa esse ostenditur; sunt enim huiusmodi: Alij ad fornicem vna manu pependerunt, alij autem ad columnas ligati] & quæ sequuntur. sine dubio igitur ab ipsa veritate aliena esse, dilucide, planeq. constat. Præterea, si pedibus ad cælum versis erant hi suspensi, cur addidit auctor, Pedibus nō habentibus vbi insisterent?] id est, situm; nam sublime pedes situm non habent, sed humi. Item si erant inter se colligati, vultu alterius in alterum obuerso; quid causæ fuit, vt non dixerit Philæas, Simul ligati, & corporum grauitate, non corporis? duos etenim martyres in vnum vinctos duo habere corpora oportet. His tādē interpretationibus reiectis, reliquum est, quid ipsi sentiamus, aperire. Dicimus itaque, auctoris mentem eam fuisse, vt insatiabilem illam crudelitatem ante omnium oculos poneret, quam inanum deorum amatores, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, in Christianos exercuere: quamobrem hæc litteris consignata reliquit:


Alios vna manu appenderunt ad fornicem. Alij autem ad columnas ligati sunt, brachijs (vt multi Eusebij codices, quos vidi, habent) post tergum distortis, & pedibus non habentibus vbi insisterent, &c.] perinde ac diceret: Quosdam ex seruis Christi altera manu appenderunt ad fornicem; quosdam alios deinde ad ipsasmet columnas tantum, quæ fornices fulciebant. Porro hanc verborum Philææ explicationem veram esse, ex his, quæ hucusque retulimus, ita plane aperteq. apparet, vt nullo pacto noua id ratione confirmare sit opus. Verum, quod attinet ad modum, quo martyres columnis vinciebantur, nō ignorare oportet (veluti coniecturis, ex prænotatis verbis Philææ factis, ducimur ad suspicandum) fuisse huiusmodi; vt in superioribus columnarū partibus essent vel annuli ferrei, vel, quod nobis magis probatur, trochleæ aliquæ, per quas ductorij funes immitterentur, quibus postea sancti martyres, brachijs post terga distortis, & vultibus ad columnas versis, alligati sursum per totos dies atortoribus aut traherentur, aut certe deorsum maxi-



- A* Martyr pedibus suspendebatur, igne, vt suffocaretur, supposito.
B Martyr laqueo appenditur.
C D Martyres in crucem agebantur.



1. In hoc templo...
 2. In hoc templo...
 3. In hoc templo...
 4. In hoc templo...
 5. In hoc templo...
 6. In hoc templo...
 7. In hoc templo...
 8. In hoc templo...
 9. In hoc templo...
 10. In hoc templo...




- A* Martyr funibus corpori alligatis appensus, humeros oneratos habens glebis salis, in cuius ore lignum ad maiorem pœnam immittebatur.
- B* Martyr unico suspensus.
- C* Martyr ambobus pedibus appensus, cuius caput malleis contundebatur.
- D* Postremus denique, oneribus collo & pedibus ligatis.

D



A. Sanctus spiritus corpus illius apparet. Inuentus est in hoc templo. Inuenit spiritus in hoc templo.
 B. Sanctus spiritus inuenit.
 C. Sanctus spiritus inuenit. Sanctus spiritus inuenit. Sanctus spiritus inuenit.
 D. Sanctus spiritus inuenit. Sanctus spiritus inuenit. Sanctus spiritus inuenit.

D




A Christianis quandoque suspensis lentus ignis supponebatur, ut fumo ex illo
 proueniente, faucibus premerentur. Hi quidem erant, qui cum sancto
 Propheta Davide canere poterant: Igne, dulcissime Iesu, nos examinasti,
 & non est inuenta in nobis iniquitas.



- A* SS. Martyres nonnumquam, ut muscarum & fucorum aculeis excruciantur, stipitibus erectis, melle delibuti, radijsq. Solis expositi appendebantur:
- B* Aliquando vel utroque pede, ingentibus saxis ad eorum ceruices alligatis:
- C* Vel altero pede, sumo supposito:
- D* Vel etiam apicibus pollicu manuum, eorū pedibus grauibus ad litis oneribus:
- E* Vel demum altero quoque pede in genu deflexo, & genu ferreo iniecto vinculo, altero deinde pede ferri pondere grauato.



A. 22. Martini non tantum, sed etiam
 in his partibus, in quibus
 B. 2. Martini non tantum, sed etiam
 C. 3. Martini non tantum, sed etiam
 D. 4. Martini non tantum, sed etiam
 E. 5. Martini non tantum, sed etiam
 F. 6. Martini non tantum, sed etiam
 G. 7. Martini non tantum, sed etiam
 H. 8. Martini non tantum, sed etiam
 I. 9. Martini non tantum, sed etiam
 K. 10. Martini non tantum, sed etiam



A Cyphonis supplicium.

B Martyres corio bouis inclusi radijs Solis obijciebantur.

C Scaphismi supplicium.

D Martyres quandoque humi positi, radijs item Solis ad maximum eorum cruciatum exponebantur.



A. Christophorus
 B. Martinus
 C. Stephanus
 D. Martinus